

lino, vel annulo, statim retundi, aut vinci, nisi experientia? & occasione experientiæ oblata à divina providentia, quæ nobis Aristotele auctore sub casu, aut fortuna tegitur; quis protulit rutam & citrum venenis conferre, nisi eodem propè modo natura occurrisset? quis docere potuisset, Cacodæmona in humano corpore latitare, naturali quodam signo deprehendi posse, nisi Deus consignasset nostris animis, ut Argento vivo optimè expurgato, in arundine munda occlusa, si collo suspensum deferatur, nigrum fieri, & mirabiliter immutari dignosci Deus permisisset, qui ut solem nubibus, aërem imbribus, & exhalationibus tetris obscurat, Ita pariter virtutem, salutaria remedia, scientias, artes, bellorum turbinibus dissipari, peste deijci, discordia obscurari permittit; virtutes quoque negligentia obrui. Postremo veritas ipsa diù laterere non potest, & à profundo Democriti puteo eruitur. De his hucusq; fatis.



QVO ANNI TEMPORE
Venanda, & quam diù retinenda sint
Vipera, cum pro antidotis, tum
pro cibis.